

aliunde sacram eruditionem hauriendi & in animum admittendi, iisdem concedi intelligitur, sed & propagandi ad alios, ejusdem potissimum sexus, facultas datur. Quæ omnia usu quoque frequenti ac continuo diutissime Ecclesia Christi antiquitas ita comprobavit luculenter, ut præter Diaconissas, (loquimur ex sententia vulgari) quas ancillas in Ep. ad Traj. appellavit *Plinius*, presbyterissas etiam consecratas & dicatas sacro cultui, quarum ætas annis 60. circumscripta est 1. Tim. V., habuerint aluerintque. Quibus ad evitandam omnem suspicionis malæ speciem, tum ad alia munia, tum etiam ad instituendas in Christianismo fœminas, verbumque Christi in gynæcea per easdem introducendum absque reprehensione, [ut ex Conc. Carthag. IV. can. XII. & Clem. Alex. L. III. Strom. p. 448. colligitur,] uti possent: qua de re in Comment de Presbyterissis V. E. §. inpr. 49. B. Matth. Zimmermannus videri potest. Quoniam autem præter hoc docendi officium, quod sacram utique eruditionem requirebat, & negari per omnia vix potest, distinctæne fuerint a Diaconissis Presbyterissæ, an vero plura, alterumq; officii tantum, alterum ætatis, sed personarum prorsus earundem fuerint nomina, inter Eruditos disceptatur, (unde ex vulgari sententia nos paullo ante loqui dixeramus, contrarium vero ex Epiphaniæ Hæres. XXIX. a B. Gundlingio ad Conc. Laod. Can. XI. demonstratum videre licet,) nobis molliorem hætenus erga fœminas erudiendas mitioremq; Christianismi primi quam Judaismi mentem hinc intellexisse sufficiat. Reliqua aliis relinquentes evolvenda ad ipsa Exempla Eruditarum fœminarum, per pauca quidem, satis tamen, ut puto, illustra, e Gente Judæa recensenda, pedem promovebimus.

XXI.

Ea vero, cum justam tractationem exigant, angustiis hisce terminis consulto nobis positis veremur includere; sed seqq. Deo volente, Dissertationibus servamus consideranda, ac summo Numini pro viribus, ad hæc generalia exponenda, concessis gratias humillimas agentes, ut & reliquis conatibus clementissime adspiret, religiose supplicamus.

Coll. Miss. H. 139, 4